

riæ actæ : ex prosperis ejus eventis , quæ ad commune christianæ reipublicæ bonum , decusque dirigerentur , magnam se voluptatem percepturum , Senatus affirmavit .

At Lusitaniæ expeditioni Philippus Albano Duce cum summo imperio præfecto , ipse Guadalupem , inde Meridam in Lusitaniæ finibus contendit ; officiis , pollicitis , quo sibi plurimorum animos conciliaret , regnoque viam strueret , frustra adnixus , ad vim terra marique adhibendam se contulit : cui Lusitani per se impares , dissentientibus animis , in varias partes scindebantur ; plerique ad excipiendum Philippum proclinati ; alii ad Antonium fovendum propensi ; quidam denique plausibili & specioso libertatis nomine ille-
cti inspiciebantur . Inde magni tumultus exorti , incerta ad regnum tuendum , atque hostem arcendum consilia , cui jam sponte urbes atque oppida in limitibus posita se adjun-
xerant , facillimum ad victoriam aditum Hispanis præbue-
re ; qui septimo kalen. septembbris terrestri prælio ad Alcan-
tararam amnem Antonium superant ac fundunt . Eodem tem-
pore classe in Tagi amnis faucibus feliciter pugnant , nullo-
que negotio Ulisipone , præcipua Lusitaniæ regni urbe , po-
tiuntur . Prosperum ejus rei eventum per Salazarium Philip-
pus Senatui significat , amplificatas fortunas , auctum imperium ,
maritimarum virium incrementum defert ; ea omnia ad chri-
stianam rempublicam Venetasque ditiones tuendas adhibitu-
rum confirmat . Bini oratores , Hieronymus Lippomanus , Vin-
centius Thronus lecti , qui Lusitaniæ accessionem Philippo gra-
tulaturi Ulisiponem profiscantur .

Per eos dies , Emanuele Philiberto Sabaudiaæ Duce vita functo , ad Carolum filium Marcus Justinianus legatus est designatus , cum ipse Carolus , statim principatu inito , Fran-
ciscum Martinengium Comitem ad Rempublicam misisset , qui patris obitum , ipsius successionem , propensumque in Rem-
publicam exemplo majorum animum significaret . Is postea se-
creto Principem ac patres allocutus , Retzium Marescallum
quem vocant , adiisse Carolum , inquit , Galliarumque Regis no-
mine exposuisse , sibi omnino statutum esse , Salassos , a Bella-
gardii obitu imperata detrectantes , palamque dicto non au-
dientes , quacumque ratione premere , atque ad se trahere ,

Albano Du-
ci belli Lu-
sitani pro-
vincia a
Philippo
demandata.

Philippus
Rex Vene-
tis Lusitra-
nam victo-
riam signi-
ficat .

Hierony-
mus Lippo-
manus &
Vincentius
Thronus ad
Philippum
Regem ora-
tores .

Emanuelis
Sabaudia
Ducis obi-
tus & Caro-
li filii suc-
cessio .

Marcus Ju-
stinianus
ad Sabaudia
die Ducem
orator .

François
Martineng-
ius a Sa-
baudo Vene-
tias mitti-
tur .